

nam fecisti , concede , ut temporali cursu fideliter peracto , sub aliis misericordiae tuæ vitam quietam & perpetuam consequatur.

Deus , qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti , da nobis in eodem Spiritu recta sapere , & de ejus semper consolatione gaudere.

Deus , qui salutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præstisti , tribue quæsumus , ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus , per quam meruimus auctorem vitae suscipere , dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum , qui tecum &c.

V. Dominus vobiscum &c.

Benedictio Dei + Patris & Filii & Spiritus S. descendat super te & maneat semper.

Rc. Amen.

RITUS GENERALIS BENEDICTIONUM.

In principio cujuslibet Benedictionis , præterquam in duabus sequentibus dicitur :

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Rc. Qui fecit cœlum & terram.

V. Dominus vobiscum.

Rc. Et cum Spiritu tuo.

Deinde Oratio præscripta.... In fine fit aspersio aqua benedicta & ubi notatur , incensatio.

Bene-

*Benedictio domorum in Sabbato sancto
& tempore Paschali.*

Sacerdos ingressus domum dicat : Pax huic domui &c. Deinde aspergens aqua benedicta loca præcipua & inhabitantes, dicat:

Antiph. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluja, & omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, & dicent Alleluja, Allel.

Psal. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri. Vidi aquam &c.

V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Alleluja.

R. Et salutare tuum da nobis, Alleluja.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum, R. Et cum &c.

O r e m u s.

*E*xaudi nos Domine sancte, Pater omnipo-tens, æterne Deus, & sicut domos He-bræorum in exitu de Ægypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum, in quo immola-latus est Christus, figurabat) ab Angelo percu-tiente custodisti, ita mittere digneris S. Ange-lum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, pro-tegar, visiter, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo per eundem Christum Domi-num nostrum. Amen.

Nequeunt Regulares benedicere domus Diæcesis in hebdomada sancta, Congr. Conc. 21. Jul. 1620.

*Benedictio domorum extra tempus paschale
per annum.*

*Sacerdos aspergens, dicit: Asperges me, &c.
Pf. Miserere &c. Gloria. Asperges. V. Osten-
de nobis. ut sup. fine Alleluja.*

V. Domine exaudi orationem meam. &c.

V. Dominus vobiscum. &c.

O r e m u s.

Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens,
æterne Deus, & mittere digneris sanctum
Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat,
protegat, visitet, atque defendat omnes habitan-
tes in hoc habitaculo. Per Christum &c.

Benedictio loci.

O r e m u s.

Benedic Domine Deus omnipotens locum
istum (*vel* domum istam) ut sit in eo (*vel* in
ea) sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas,
bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gra-
tiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui S.,
& hæc Benedictio maneat super hunc locum,
& super habitantes in eo nunc & semper.

Rc. Amen.

Benedictio novæ domus.

O r e m u s.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter
exoramus pro hac domo, & habitatori-
bus ejus, ac rebus: ut eam bene dicere, &
laetificare, ac bonis omnibus ampliare digne-
tis:

ris: tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac & Jacob: & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Benedictio novi Putei.

Oremus.

Deprcamur Domine clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cœlesti benedictione & sanctifices, & ad communem vitam concedas salubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, ut quicunque ex eo abhinc hauserit, biberitve, vel in quibuslibet necessariis usibus hausta aqua usus fuerit, totius virtutis ac sanitatis dulcedine perfruatur; ut tibi semper sanctificatori omnium Domino gratias agere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Benedictio Thalami.

Oremus.

Benedic Domine Thalamum istum, ut omnes habitantes in eo in tua pace consistant, & multiplicentur in longitudinem dierum, & ad regna cœlorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Benedictio novae Navis.**O r e m u s.*

Propitiare , Domine , supplicationibus nostris , & bene dic navim istam dexteram tua sancta , & omnes , qui in ea vehentur , sicut dignatus es benedicere arcam Noë ambularem in diluvio : porrige eis Domine dexteram tuam , sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare : & mitte sanctum Angelum tuum de cœlis , qui liberet & custodiat eam semper à periculis universis , cum omnibus , quæ in ea erunt : & famulos tuos , repulsis adversitatibus , portu semper optabili cursuque tranquillo tuearis , transactisque ac recte perfectis negotiis omnibus , iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris , qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. *Rc.* Amen.

*Benedictio super Fruges & Vineas.**O r e m u s.*

Oramus pietatem tuam omnipotens Deus , ut has primicias creaturæ tuæ , quas aëris & pluviae temperamento nutritre dignatus es , benedictionis tuæ imbre perfundas ; & fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas ; tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere , ut à fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas , & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ , per Christum Dominum nostrum. *Rc.* Amen.

Bene-

*Benedictiones Esculentorum,
præsertim in Paschate.*

Benedictio Agni Paschalis.

O r e m u s.

Deus, qui per famulum tuum Moysen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosque postes domorum de sanguine ejusdem agni perungi præcepisti: tu bene dicere & sanctificare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat Deus in sæcula &c. Rx. Amen.

Benedictio Ovorum.

O r e m u s.

Subveniat, quæsumus Domine, tuæ beneficitionis gratia huic ovorum creaturæ: ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Rx. Amen.

Benedictio Panis.

O r e m u s.

Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, bene dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto; ut omnes ex eo gustantes, inde cor-

poris & animæ percipient sanitatem. Qui vivis
& regnas in sæcula sæculorum. Rx. Amen.

Alia.

O r e m u s.

Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, bene dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis: atque contra omnes morbos & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit. & dat vitam & salutem mundo: & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Rx. Amen.

"Benedictio novorum Fructuum.

O r e m u s.

Benedic Domine hos novos fructus N. & præsta: ut qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum, Rx. Amen.

Benedictio ad quocunque comestibile.

O r e m u s.

Benedic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano: & præsta per invocationem sancti Nominis tui; ut quicunque ex ea sumperint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipient. Per Christum Dominum nostrum, Rx. Amen.

Bene-

Benedictio Olei simplicis.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
R. Qui fecit cœlum & terram.

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem & omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma sathanæ eradicare & effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis & corporis, in nomine Dei Patris & omnipotentis, & Jesu & Christi Filii ejus Domini nostri, & Spiritus sancti & Paracliti, & in charitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per agnem. **R.** Amen.

V. Domine exaudi orationem meam &c.

V. Dominus vobiscum &c.

O r e m u s .

Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere & bene & dicere & sancti & facere hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitatem perceptam, tibi Deo vivo & vero gratias ageant: praesta quæsumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene & dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis inimici insidiis liberentur, & cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo, quod pre-

tioso sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam
lædatur à mortu serpenti antiqui, per eundem
Dominum nostrum Jesum Christum Filium tu-
um, qui tecum vivit &c.

Aspergat oleum aquâ benedictâ.

*Benedictio Candelarum in festo S. Blasii
contra morbos Gutturis.*

V. Adjutorium nostrum in nomine &c.

V. Ora pro nobis S. Blasi.

Rc. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

V. Domine exaudi orationem meam &c.

V. Dominus vobiscum &c.

O r e m u s.

Omnipotens & clementissime Deus, qui om-
nium inundi rerum diversitates solo verbo
creasti, & ad hominum reformationem illud
idem verbum, per quod facta sunt omnia, in-
carnari voluisti: qui magnus es & immensus
terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia:
pro cuius fidei confessione gloriosus Martyr &
Pontifex Blasius diversorum tormentorum ge-
nera non pavescens Martyrii palmam feliciter
est adeptus; quique eidem inter cæteras gratias
hanc prærogativam contulisti, ut quoscunque
gutturis morbos tua virtute curaret: Majesta-
tem tuam suppliciter exoramus; ut non intuitu
nostrî reatus, sed ejus placatus meritis & pre-
cibus, hanc creaturam ceræ bene dicere &
sanctificare tua pietate digneris; ut omnes,
quorum colla per eam bona fide tacta fuerint,
à quocunque gutturis morbo ipsius passionis
meri-

meritis liberentur, & in Ecclesia sancta tua sani
& hilares tibi gratiarum referant actiones, &
laudent nomen tuum gloriosum, quod est be-
neditum in saecula saeculorum. Rx. Amen.

Aspergantur aqua benedicta. Sacerdos post
Missam aut alias indutus Stolâ ac Albâ sive Su-
perpellico accensos duos benedictos cereos in for-
ma Crucis sub mento cuiusvis benedicendi genu-
flexi tenens, dicat:

Per intercessionem S. Blasii Episcopi & Mar-
tyris liberet te Deus à malo gutturis & quolibet
alio, in nomine Patris † & Filii & Spiritus S. Am.

Benedictio pabuli animalium.

Y. Adjutorium nostrum in nomine &c.

Antiph. Benedicat Dnus hanc creaturam pa-
buli, salis, hordei, avenæ, filiginis, Amen.

Psal. 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion:
facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum : &
lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes : magnificavit
Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum:
facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram : si-
cuit torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis : in exultatione
metent.

Euntes ibant & flebant ; mittentes semina sua,

Veni-

Venientes autem venient cum exultatione:
portantes manipulos suos.

Gloria Patri, & Filio &c.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster,

V. Salvos fac servos tuos & ancillas tuas.

R. Deus meus sperantes in te.

V. Et si mortiferum quid biberint.

R. Non eis nocebit.

V. Gustare & videte, quoniam suavis est Dnus.

R. Beatus homo, qui sperat in eo.

V. Domine exaudi orat. &c.

V. Dominus vobiscum &c.

O r e m u s.

Domine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, Rex regum & Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creasti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad usus animalium, & ad eorum nutrimentum fecisti; quæ quidem animalia in adjutorium & sustentationem hominum creasti: Te humiliter deprecamur, ut has creature avenæ, salis &c. quæ ad usus animalium & sanitatem eorum sive in terra, sive in aqua degentium creasti, per invocationem tui sancti Nominis & per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis & per preces omnium Sanctorum tuorum benedicere & & sanctificare digneris; ut animalia, quæ ex eis gustaverint, sanitatem integraliter recipient, per Te Iesu Christe, cuius solo verbo omnia restaurantur, Salvator mundi, Rex æternæ gloriæ,

riæ, qui in Trinitate perfecta cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum.

Rc. Amen.

O r e m u s.

Deus, qui temporibus Eliæ Prophetæ cœlum à nubibus restringendo clausisti & rufsum aperiendo te mirabilem ostendisti, exaudi preces plebis tuæ, ut per unigenitum tuum, quem consubstantialem & coæqualem tibi in Divinitate credimus, & per Spiritum S. Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, benedicas † & sanctifices hunc salem, avenam, hordeum & filiginem, &c. ut quæcumque animalia ex eis gustaverint, adjutorium sanitatis & incolumitatis recipiant, per Te Domine Sancte Pater, qui cum Filio & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris † & Filiū & Spiritū sancti descendat super hanc creaturam avenæ, hordei, filiginis & salis &c.

Rc. Amen.

Benedictio Salis pro animalibus.

O r e m u s.

Deus invisibilis & inæstimabilis, pietatem tuam per sanctum & tremendum Filii tui nomen suppliciter deprecamur, ut in hac creatura salis benedictionem † & potentiam invisibilis operationis infundas; ut animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eo acceperint vel gustaverint, benedictio † & sanctificatio tua ab omni ægritudinis & læsionis

nis incursu te protegente custodiat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, defende, quæsumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam salis & aquæ; quæ morbis & infirmitatibus vexantur, eaque propius sanare dignare. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Benedictio animalium Peste infectorum.

Oremus.

Misericordiam tuam, Domine, supplices exoramus, ut haec animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in tuo Nominе atque tuæ benedictionis & virtute sanentur: Extinguatur in eis omnis diabolica potestas, & non ulterius ægrotent, Tu eis sis sustentaculum vitae & remedium sanitatis. Per C. D. N. Amen.

Benedictio salis & aquæ contra Vermes & Aves &c.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, mitte sanctos Angelos tuos, ut defendant segetes nostras à verinibus malis & avibus &c. & magnificetur nomen tuum in omni loco. Per Christum Dnum nostrum. Amen.

Oremus.

Benedic & Domine hanc creaturam aquæ, ut fugiant vermes & volucres &c. à nostris sege-

segetibus propter nomen D. N. J. C. quod invocatum est in ipsa creatura messis, ut fiat alimento omnibus, qui vivunt ex ea. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Benedictio Equorum ceterorumque animalium.

Per intercessionem S. Antonii Abbatis.

Romæ usitata & institut. 47. Prosp. Lambertini post Papæ Benedicti XIV. prescripta.

O r e m u s.

Deus refugium nostrum & virtus: adesto piis Ecclesiae tuæ precibus, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosum B. Antonium Abbatem variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illæsum transire fecisti, concede famulis tuis, ut & præclaro ipsius proficiamus exemplo, & à præsentis vitæ periculis ejus meritis & intercessione liberemur. Per Xium Dnum nostrum. Rx. Amen.

O r e m u s.

Benedictionem tuam Domine hæc animalia (hoc animal) accipiant, qua corpore salvantur (salvetur) & ab omni malo per intercessionem B. Antonii liberentur (liberetur) per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Bene-

*Benedictio contra Mures, Locustas, Brucbos,
& Vermes noxios.*

*Benedictus Papa XIII. in usum eam invenit
& Bened. XIV. quā Archiep. Bonon. præscripsit
institutione 47.*

Antiph. Exurge Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.

Psal. Deus auribus nostris audivimus & patres nostri annuntiaverunt nobis.

Gloria Patri, &c.

Repetitur Antiph.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Rc. Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

Rc. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum &c.

O r e m u s.

Preces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hanc Murium (Locustarum, vel Vermium) persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut tuâ potentia procul expulsi (expulsæ) non noceant, & campos agrosque nostros in tranquillitate ac quiete dimitrant, quatenus ex eis surgentia, & orta tuæ Majestati deserviant, & nostræ necessitatibus subveniant. Per Christum Dnum nostrum

Rc. Amen.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum Remunerator & peccatorum maximus

mus Miserator & in cuius nomine omnia genua flectuntur, cœlestium, terrestrium & infernum; tuâ potentia nobis peccatoribus omnipo-tenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, tuâ gratiâ efficacem consequamur effectum, quatenus hos pestiferos Mures (Locustas *vel* Vermes) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clemen-tiam ab hac peste liberati gratiarum actiones Majestati tuæ liberè referamus. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

Exorcizo vos pestiferos Mures (Locustas *vel* Vermes) per Deum Patrem omnipoten-tem † & Jesum Christum Filium † & Spiritum S. ab utroque procedentem † ut confessim rece-datis à campis & agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transfeatis, in qui-bus nemini nocere possitis, pro parte omnipo-tentis Dei, & totius Curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctorum Dei vos maledicens, ut quocunque eri-tis, sitis maledicti (maledictæ) deficientes de die in diem in vos ipsos (ipsas) & decrescentes, quatenus reliquiae de vobis nullo in loco inve-niantur, nisi necessariae ad salutem & usum hu-manum, quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Rx. Amen.

Postremo loca infecta aspergantur aqua bene-dicta, cui etiam addi potest Benedictio salis & aquæ contra vermes &c. superius posita.